

M  
XII

199  
-  
193



F

anf.

SS

17.  
EXERCITATIO PHILOSOPHICA  
DE  
ACCIDENTE

Inprimis  
PRÆDICABILI

Quam  
D. O. M. A.

*Consentiente Amplissima Facultate Philosophica*

PRÆSES

M. JOHANNES ALBERTVS HERINGHVSIVS

&

RESPONDENS

ERICH CHRISTOPH LVBBREN

HAMELENSIS

*Publicè ventilandam proponens*


*In Fuleo Majori*

Die XII. Nov.



---

HELMESTADII  
Typis JACOBI MULLERI.  
ANNO MDCCCLXIV.





Σὺν τῷ Θιῷ.

§. 1.



Alenus Medicus & Philosophus clarissimus inter alia utilissima monita etiam hoc reliquit: *Varia significationis nomina definitionem unam non habere, nisi homonymia distincta sit, neque enim nominum, sed rerum definitiones esse.* Lib.2. de diff. puls.

§. 2.

Et hoc ipsum est, quod Philosophus noster tum aliis in libris, tum verò ἐν τοῖς μετὰ τὰ φυσικὰ felicissimè exsequutus est. Quando confirmatis L.4. Metaphys. quibusdam principis, sequenti libro distinctionem multorum vocabulorum aggredditur, quem tractatum propterea ἐπὶ τῷ ποσαχῶς inscribit L.10. Metaph.c.1.&l.7.c.1.

§. 3.

Horum summorum Virorum vestigia & nos sequentes, quum in præsens *de Accidente*, quod etiam ποσαχῶς λεγόμενον, paucula exercitationis Academicæ causâ proponere constituerimus, principiò significata ipsius potiora proponemus, postea de eo quod *predicabile* dicitur aliquantò plenius acturi.

§. 4.

I. Igitur *Accidens* sumitur *absolutè*, & opponitur *substantiæ*,

A 2

tia,

ria, uti hæc sumitur pro ente per se existente. Quomodo Accidens prædicamentale à quibusdam dicitur, quoniam in doctrina prædicamentorum de eo tractatur.

§. 5.

II. Sumitur Accidens respectivè, & opponitur essentiali, diciturque omne id, quod quum rei insit, vel de ea prædicari possit, ad essentialiam ejus constituendam non pertinet. Hoc modo etiam propria, sive idia præ accidentia dicuntur, unde illud natum; Demonstrationem esse Accidentium.

§. 6.

III. Iterum respectivè capitur, sed strictius. Non enim omne id sic dicitur accidens, quod de re prædicari potest, quum sit extra ejus essentialiam, sed requiritur, ut possit à re abesse, & de ea negari, essentialiam ejus salvam manente. Hac acceptione dicitur prædicabile, & proprium excludit.

§. 7.

IV. Aliam significationem Accidentis ex Topicis Aristotelis explicat Petrus Fonseca L. VII. Institutionum Dialecticarum c. VIII. ubi ita: Quod si interrogationes simpliciter quarant, num aliquid alicui conveniat? ut num apes sunt prudentes ----- (qua interrogationes propter simplicem querendi formam simplicis inherentia vocari solent) in questionibus Accidentis numerande erunt. Non tamen quâ ratione à cæteris tribus prædicatorum generibus distinguitur, sed quâ funditur ad omnia quæ quoquo modo alicui accidunt. Quopactò Accidentis vocabulum sæpius sumitur. Hæc ille.

§. 8. V.

§. 8.

V. In Posterioribus Analyticis Aristoteli *Accidentia dicuntur, quæ non sunt in primo aut secundo modo per se.* l. i. Post. Anal. c. 4.

§. 9.

VI. Lib. Elench. Soph. Aristot. peculiaris quædam Accidentis significatio occurrit, ex qua fallacia accidentis dicitur: Vocatur scilicet ibi *accidens alicuius, quod de eo sic predicatur, ut partim cum eo sit idem, partim ab eo diversum*: quo pacto etiam animal hominis accidens dici potest. Et si enim animal cum homine quodammodo idem sit, est tamen aliquâ parte ab eo diversum, cum multa animali competant, quæ homini verè tribui nequeunt.

§. 10.

VII. *Accidens est εἰδεχόμενον.* Quod inest sine determinata causa, vel ἀπλῶς, vel certè tum atque eo tempore non habuit determinatam causam, quum accidit. *Ut si quis planta scrobem fodiens thesaurum inveniat, inventio thesauri nullam planè habet causam determinatam. Aut si quis in Aeginam venerit, si non ea de causa illuc appulit, ut illuc veniret, sed à tempestate pulsus, aut à prædonibus captus, appulsio & adventus in Aeginam insulam tum non habuit causam determinatam, propositum scilicet, quum vis tempestatum in eam compelleret.* Hæc exempla suppeditat Philosophus ipse l. 5. Met. c. 30.

§. 11.

Hæc sunt potiora Accidentis significata: Ex quibus tertium, quod *predicabile* vocatur, excerpemus, de-  
A 3
que



que eo, uti jam tum recepimus, adhuc pauca subjun-  
gimus.

§. 12.

Plures autem ejus cum apud Aristotelem, tum apud Porphyrium definitiones reperiuntur. Et apud illum quidem L. 1. Topic. c. IV. istæ leguntur: *Accidens est, quod nihil horum est, nec definitio, nec proprium, nec genus, inest autem rei. Secunda definitio est. Accidens est, quod cuivis rei uni & eidem potest inesse, & non inesse.* Hic vero Isagoges sua ad Chrysaorium cap. 5. tres proponit, quæ ita habent: I. *Accidens est, quod adest vel abest sine subjecti insertu.* II. *Accidens est, quod contingit eidem inesse & non inesse.* III. *Accidens est, quod neque est genus, neque differentia, neque species, neque proprium, semper autem in subjecto inhaeret.*

§. 13.

Quoniam verò utriusque & Aristotelis & Porphyrii definitiones quibusdam difficultatibus obnoxia sunt, quarum considerationem in conflictum rejicimus, licebit fortassis hanc iis addere, quâ *Accidens predicabile dicitur esse id, quod potest predicari de pluribus contingenter.* Videtur enim eâ ipsâ definitum sic satis rectè explicari, & ab aliis imprimis ei cognatis discriminari. Cætera quippe prædicabilia non contingenter, sed necessariò prædicantur. Tale igitur fuerit album & nigrum, cum de pariete prædicantur.

§. 14.

Cæterum diligenter etiam à se invicem discernenda sunt nostrum hoc accidens *predicabile*, & id quod supra prædi-



*prædicamentale* appellari monuimus; præsertim quum à nonnullis discrimen inter ea nullum agnoscatur. Adeò videlicet differunt, ut 1. accidens aliquod prædicamentale sit, quod tamen non est prædicabile, v. g. quum dico, *albedo est color*, color est accidens prædicamentale, non autem accidens prædicabile, nec enim albedini accidit colorem esse, sed necessariò competit, quia color genus est albedinis, quo pars essentiæ rei exprimitur. Non est, inquam, hæc prædicatio accidentis, quamvis & id quod prædicatur & quod subicitur accidentia sint. 2. Fit etiam, ut accidens aliquod prædicabile non sit accidens prædicamentale, sed substantia, v. g. si dicam, *corpus est animatum*; prædicatum respectu sui subiecti habet rationem accidentis prædicabilis: & tamen anima & animatum ad substantiam referuntur. Eadem ratione, quando dico, *mensa est lignea*, prædicatio est accidentis, licet lignum sit substantia. Scilicet *in Accidente prædicabili tantum attenditur habitudo & respectus prædicati ad subiectum, qui contingens esse debet*, ita ut subiectum etiam cum Accidentis opposito concipi possit, licet id quod prædicatur, sit vel accidens prædicamentale, vel substantia.

§. 15.

Dividitur Accidens in *separabile & inseparabile*. Quamvis autem hæc divisio juxta Cornel. Martin. Comment. Log. adversus Ramistas l. 1. c. 2. p. 101. ed. Helmst. potius sit Accidentis prædicamentalis, quoniam tamen prædicabili quoque accommodari potest, unde in doctrina prædicabilium non solū à Porphyrio tradita est, sed & ab aliis Logicis explicari solet, nos etiam hic de ea breviter agemus.

§. 16.

I. *Omne Accidens quinti prædicabilis est separabile à subie-*  
*cto*



*Et mente, etiam per secundam ejus operationem, ita ut non tollatur subjecti conceptus quidditativus, sive ratio essentialis. Est autem nobis h. l. separari mente, aliquid de aliquo negari, aut etiam contrarium ejus de eodem affirmari. Hoc sensu Porphyrius Isag. c. V. dicit, omne accidens posse abesse & adesse sine subjecti interitu.*

§. 17.

II. *Nullum Accidens est realiter separabile à subjecto, nempe substantia, quatenus nullum Accidens, separatum à substantia subsistere potest. Et de eo loquitur Aristoteles l. I. Phys. c. 2. t. 14. c. 4. t. 39. l. 7. Met. c. I. t. 4. l. 12. Met. c. I. t. 3. & 25.*

§. 18.

III. *Quaedam accidentia dicuntur realiter separabilia, quatenus quaedam realiter separari possunt, salvo eo, à quo separantur, ut calor ab aqua.*

§. 19.

IV. *Quaedam accidentia dicuntur realiter Inseparabilia, quia separari realiter non possunt, salvo manente subjecto immediato, ut nigredo à corvi pennis.*

*Kai ταύτην ἰδίαν ταῦτα.*

Parerg.

# Parerga.

## I.

*Inventioni Logices initium dedit natura, quæ non solum hujus, verum etiam scientiarum omnium in se continet semina. Adde testimonium Nobil. nostri Conringii, de laud. Aristot. Oratione alterâ. Indidit verum omnium conditor Paterq; DEVS hominum cui vis eam vim ac facultatem, ut alia quidem primo mentis intuitu pervideat statim & intelligat, alia verò ex primis hisce, ut ita loquar, anticipationibus colligere non ita magno negotio possit ac judicare. Vid, etiam l. 1. Rhetor. Aristot. cap. 1. §. 2.*

## II.

*Et hæc initia, sive semina Logices non incommodè quis Logicam naturalem dixerit.*

## III.

*Naturalis autem illa potentia argumentandi ad veritatis indagacionem sola non sufficit, nisi disciplinâ aliquâ perficiatur.*

## IV.

*Ex observatione operum Dialecticorum nata est Dialectica sive Logica artificialis, vel ex ipsa experientia. Etenim videntes veteres Philosophi, homines inter se differentes, vel quidpiam definientes, observabant, quid rectum & quid vitiosum esset in definitione & argumentatione, rectumque retinebant, vitiosum verò deinde corrigere nitentur. Ex qua perenni observatione mirum in modum aucta fuit Dialectica & ad exactam methodum & artem tandem revocata.*

**B**

**Ele-**

Eleganter de hisce Didac. Mafius Valentinus Comment. in u-  
niversam Aristot. Logicam p. 72. ed. Mogunt.

V.

De Rhetorica, quæ ἀντίστοιχῶς τῇ Μαλελεκῆ dicitur, idem  
Cicero de Oratore & Quintilianus Institut. Orator. passim te-  
stantur.

VI.

Quædam initia Dialecticæ etiam apud aliquos ante Aristo-  
telem licet deprehendere.

VII.

De genere, proprio, accidente multa leguntur in  
Platone.

VIII.

Etiam Pythagorici οὐδὲ τίς ἦρξαντο λέγειν ἢ οὐκ εἰς αὐτὸν, λί-  
αν δ' ἀπλῶς ἐπετρατεύθησαν. οὐκ εἰζοντό τε γὰρ ὅτι πολλαίως. I.  
II. Met. c. 5.

IX.

Rationem definiendi ante Aristotelem Socrates docuit.  
lib. I. Met. c. 6. t. 6.

X.

De Categoriis in variis dialogis Platonis; de nominibus &  
verbis apud eundem. Testatur id etiam Mafius. c. I.

XI.

De Syllogismo antiquissimos Philosophos scripsisse, docet  
Diogenes Laërtius in Zenone.

XII.

De demonstratione, quam in Analyticis tractat Aristote-  
les, egerunt etiam Philosophi ante eum. Videtur hoc innue-  
re Philosophus li. Post. c. 1 & 3. quando quorundam de de-  
monstratione errores refert.

XIII. Ari-

## XIII.

Aristoteles tamen intra certam methodum & artem Dialectica præcepta conclusit. Hæc laus, profectò maxima, debetur Aristoteli, quòd apud Veteres Philosophos de Dialectica dispersa collegerit; multa addiderit, elegantissimâ methodo disposuerit. Et hoc fortassis indicant postrema verba Elench. Περὶ μὲν τῶν ῥητορικῶν ὑπῆρχεν πολλὰ καὶ παλαιὰ τὰ λεγόμενα. Περὶ δὲ τῶν συλλογιστικῶν παντελῶς ἔδεν ἔχοντι πρῶτον λέγειν ἄλλο. ἀλλὰ τειβῆ ζητῶντες πολὺν χρόνον ἐποιεῖμεν *De Rhetoricis quidem multa & antiqua dicta extabant. De Syllogismis autem conficiendis nihil aliud habebamus antea, quod diceremus: sed exercitatione querentes multum temporis laboravimus.* Vid. Cl. Dürrius Isag. Piccart. Disp. de nat. orig. & progressu Philos. Aristot. §. 16.

## XIV.

In libris Analyticis non tantum omnem ratiocinationis materiam in communi, sed etiam in primis arduum illud demonstrationis negotium ita elaboravit Aristoteles, ut non tantum non ex Mathematicis, verum ne ex reliquis mortalibus quispiam illi hæctenus paria facere potuerit.

## XV.

Topicorum Aristotelis cognitio etiam maximè utilis ad veritatem indagandam. Vid. l. r. Top. c. 2.

## XVI.

Lib. Elench. Soph. ad observandas Sophistarum præstigias & easdem detegendas expedit.

## XVII. Lo-

XVII.

Logica commodè potest dividi in partem communem & propriam.

XVIII.

*Disputare* est allatis argumentis veritatem vel ignotam in lucem proferre, vel jam notam confirmare & tueri.

XIX.

Quicumque disputat, Logicè disputare debet, id est juxta regulas Logicas.

XX.

*Non tam auctoritatis in disputando, quàm rationis momenta quarendam sunt. Cic. l. 1. de N. D. p. 9. ed. Lugd. B.*



99 A 6919

ULB Halle 3  
002 631 202




Gl.

Retro. ✓

VD17









17.  
EXERCITATIO PHILOSOPHICA  
DE  
ACCIDENTE

Inprimis  
PRÆDICABILI

Quam  
D. O. M. A.

*Consentiente Amplissima Facultate Philosophica*

PRÆSES

M. JOHANNES ALBERTVS HERINGHVSIVS

&

RESPONDENS


ERICH CHRISTOPH LVBËREN

HAMELENSIS

*Publicè ventilandam proponens*

*In Fuleo Majori*

Die XII. Nov.



---

HELMESTADII  
Typis JACOBI MULLERI.  
ANNO MDCCCLXIV.

